

Band X., Nr. 4817, Seite 462

Äbtissin Hiltegund und Konvent von Gnodental weisen der Elisabeth von Crailsheim eine Gült an.

Ohne Ortsangabe, 1296. März 5.

Nos soror Hiltegundis abbatissa totusque conventus sanctimonialium in Gnodental recognoscimus tenore presentium litterarum, quod nos assignavimus et in hiis scriptis assignamus Elizabeth relicte quondam Wernheri de Creuwelshein unum feodum situm in Hurlebach¹ apud Waldenberg, quod nunc colit Waltherus dictus Niezeman, et hoc idem feodum solvit annis singulis tres libras et decem solidos Hallensium et in dicto feodo fratres hospitalis sancti Johannis in Hallis recipiunt annis singulis duas libras Hallensium et V solidos et post receptionem illarum duarum librarum et quinque solidorum prefata Elizabeth recipit in eodem feodo annuatim unam libram et residua pars summe principalis cedit nobis, nisi eveniat, quod ipsa Elizabeth vel prescripti fratres in solutione ipsis deputata et in hac littera ipsis prenominata aliquem defectum habere contingat, tunc ipsis hunc defectum de parte residua summe totalis, que nobis cedere debuerat, refundant. Et est sciendum, quod ipsa Elizabeth relicta ipsius Wernheri de Creuwelshein illam summam unius libre Hallensium singulis annis quamdiu vixerit tenetur presentare sorore Elizabeth nostri ordinis filie Waltheri dicti Sulmeister bone memorie. Insuper est adiectum, ut si predicta Elizabeth relicta ipsius Wernheri de Creuwelshein prelibatam Elizabetham sororem nostri ordinis nutu dei morte preire eveniet tunc ad quemcumque prefate redditus devolvuntur ab eodem ipsa Elizabeth soror ordinis nostri singulis annis debet repetere debita memorata et postquam prenominata Elizabeth soror nostra de hac vita decesserit, dicta libra Hallensium sine omni contradictione ad claustrum in Gnodental devolvitur libere et quiete. Et ut predicta firmiter et irrefragabiliter observentur, sigillo domini abbatis Speciose Vallis Cysterciensis ordinis et nostrorum fidelicet abbatisse et conventus in Gnodental presentem litteram fecimus munimine roborare.

Datum anno domini MCCLXXXVI., tertio nonas Martii.

Textabdruck folgt dem Original.

Siegel abgegangen.

¹Hürlbach, abgegangen bei Waldenburg, Waldenburg, KÜN.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

B 352 U 56

Überlieferung und Textkritik:

Original. Abschrift im Kopialbuch HStA Stuttgart H 14 Nr. 156, fol. 46, Nr. 50.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Crailsheim Wohnplatz (2822)

Crailsheim, SHA

Gnadental Wohnplatz (3103)

Gnadental, Michelfeld, SHA

Hürlbach

Kloster Schöntal Wohnplatz (2651)

Kloster Schöntal, Schöntal, KÜN

Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)

Schwäbisch Hall, SHA

Waldenburg Wohnplatz (2688)

Waldenburg, KÜN